



ILLVSTRI VIRO
ET IVRISCONSVLTO

FACILE PRINCIPI
CAROLO TAPPIAE.



ANDREAS PELEGRINVS FELICITATEM.

VETVS apud Persas institutum fuit, ingeniosissime adolescens, ut suum Regem sine munere adiret nemo. nec illud quidem erat nimis exquisitum, aut pretiosum: sed donantis fortunis consentaneum. quod Rex non qualitate, vel quantitate, verum offerentium studio animoq; metiebatur. Unde Artaxerxes vnus è Persarum Regibus aquam de proximo fonte intra rusticas vnas haustam sibiq; à pauperculo colone muneris loco porrectam tum hilariter accepit, tum cupide bibit. quam ob rem cupiens ego morem persicum imitari, iam diu mecum animo volui, ac cogitavi, quoniam modo meum erga te animum, ac benevolentiam, qua te à teneris vnguiculis, ut Graci aiunt, sum prosecutus, aperte significare possem. verum id fato nescio quo nunquam assequi potui; licet quotidie magis omnem lapidem, ut in proverbio fertur, mouerim. Tu enim is es, qui tua virtute omnium amorem facile tibi concilias, ac iure quodam tuo, ut ita dicam, propter candidissimos mores tuos ab vnoquoque amari cogis. At ne immensum pelagus angu-

A 2 sto loco